



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum CII. Satyri, & cæteri dii agrestes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

quibus hîc quædam adungere placet. Et primò quidem, eis, quos delectat pudicitia, fugitur otium, quod diximus, per exercitationem honestam, qualis est venatoria. Ejus rei pulchrum exemplum Hippolytus fuit, de quo symb. 65. Deinde venatio firmat corpus, & animum reddit tolerantem, alacrem, & audentem ad subeundas difficultates. Tertio eadem, est utilissima disciplinæ bellicæ præmeditatio. Siquidem assuefacit diluculo surgere, frigus ac calorem pati, itinera conficere, animo præsentis hostibus occurrere, & dolos venatorios, belli tempore à belluis in homines transferre. Quarto valetudini venatores consulunt, tardiùs senescunt; sunt temperantes, & illaudatas voluptates averfantur. Enumerat Xenophon heroes multos, qui sub magistro Chirone venatibus operam ab ineunte ætate dederunt, itaque in rebus gerendis animosi, ac strenui evaserunt, ut simul *καλῶς νοεῖν, καὶ λέγειν, καὶ πράττειν*, benè intelligere, loqui, & agere didicerint.

SYMBOLUM CII.

Satyri, & cæteri dii agrestes.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Juvenculi lascivi Satyris comparantur.
2. Petulcus Satyrorum calor.
3. In corpore deformi formosus animus.
4. Panicus terror.
5. Centauri quid significant. Cur diaboli monstrosi?
6. Dæmon in tentando homine Centaurum agit.

Meritò post Dianam subjungimus cæteros deos, nemorum incolas, quales sunt *Satyri*, Latine *Fauni*, semidei numina Silvarum habiti. Formam eorum si requiris, capite erant humano, sed cornuto, pedibus caprinis, rubente vultu, naso simo, auribus asininis, toto corpore villosi, frondium latebris gaudentes, lascivi comprimis, & in Venerem proclives. Plinius eos animalia fuisse asserit, simiis haud absimilia; qui sive quadrupedes, sive recti (hoc est, in duos pedes erecti currant) tanta velocitate feruntur, ut nisi senes aut ægri, capi non queant. Vnum horum à Sylla captum Plutarchus memorat; & interrogatum

M m m m

gatum

gatum per multos interpretes, quisnam esset, ægrè vocem edidisse, quæ intelligi non posset, sed asperam, ac mixtam ex hinnitu equino, hircique balatu; eaque territum Syllam, abominatum à se dimisisse. Hæc ille. At Pomponius Mela in descriptione Græciæ refert, eundem coactum, hanc protulisse vocem. *Optimum non nasci, aut quam celerrimè interire.* Pausanias in Atticis scribit, Satyros, homines esse ferino, trucique aspectu, corporibus hirtis, pilorum colore subrufo, caudis equinis. D. Hieronymus in vita Pauli primi eremitæ, describens iter Magni Antonii, hæc habet: Conspicit Antonius hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum *Hippocentauro* vocabulum indidit: quò visò, salutaris impressione signi armat frontem, & heus tu, inquit, quam in parte hic servus Dei (Paulus) habitat? At ille, barbarum nescio quid infrendens, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora, senis blandum quæsitit alloquium, & dextræ protensione manus cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucris transmittens fuga, ex oculis mirantis evanuit. Verùm hæc utrùm diabolus ad terrendum eum simulârit, an (ut solet) eremus monstrorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus. Sic S. D. Equidem non est negandum, inquit Stengelius de Judic. diu. tom. 2. c. 48. sæpe, qui Centauri, Satyri, Fauni putabantur, malos dæmones fuisse, qui talium monstrorum corpora induerunt, ut terriculamento essent hominibus. Quidquid hoc sit, superstitiosa Antiquitas hos Silvanos, deos aut semideos esse credidit, quibus non solum lucos consecravit, sed etiam scenas illis in frondibus, speluncis, montibus, gramine, reliquisque agrestibus rebus in topiarii speciem construxit, & varios cultus adhibuit; eosque saltantes ac tripudia agitantes finxit, gestificatione ridicula, lasciva, petulante, procace, salact. Inter Satyros, qui seniores erant, appellabantur *Sileni*; quorum unus fuit educator Bacchi, caluus, simus, asino plerumque utens, brevis staturæ, corpore obeso ac ventricoso, auribus magnis & arrectis, tremulus & innitens baculo. De quo Ovidius lib. 2. Amor.

Ebrius ecce senex pando delapsus asello,

Clamârunt Satyri: surge age, surge pater.

Et lib. 4. Metam. de comitatu Liberi:

----- Bacchæ, Satyrique sequuntur,

Quique senex ferula titubantes ebrius artus

Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.

In hac silvestrium deorum turba *Pan* facilè primas obtinet: nam & nomen habet ab *omni*, quasi omnia valens. Is est inventor fistulæ sepremplicis, de quo Maro eclog. 2.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, oviùmque magistros.

Ejus uxor est *Pales*, dea pabuli, sicut maritus deus pastorum: illius festa *Palilia*, seu *Parilia* appellata, quia pro partu & salute pecorum ei sacrificabatur. Gestabat autem Pan altera manu fistulam, alterâ baculum incurvum. Nam pastoris est, non tantùm ovium, sed etiam populi:

Et cantu mulcere greges, & pellere virga.

Severitas miscenda est clementiæ. Rectè verò pro uxore deam pabuli habet Pan. Neque enim officium suum facit Pastor, si plenam ipse sedeat ad mensam, & vacua gregibus præsepia linquat. Oves tondendæ sunt, sed saturæ, non macie confectæ.

Ethica.

I. (a) De Bacchi comitibus Satyris meminimus in navi ejusdem Bacchi; hinc adjungimus. Vitia ebrietatis ac impuræ libidinis sociata sunt; id quod Bacchus, & ejus stipatores, silvestres isti deastri, cornigeri, & capripedes significant. Silenus enim, præcipuus illorum, asello vectus, & malè hærens in illo, quid aliud indicat, quàm hominem poculis exhauriendis deditum, esse inertem, stupidum, nihil molientem homine dignum, asino simillimum? Et petulei Satyri, quid aliud referunt, quàm juvenculos leves, petulantes, visæque mulierum formæ adhinnientes? caprarum inter ac hædorum per Veneris præta lascivientes ac luxuriantes? Monstra sunt hi Satyrica, diversis è bestiis, hoc est, libidinibus composita, angulos sectantur, & specus obscuros, & frondosas umbras; ut tantò sit impudentior lascivia, quantò est occultior.

II. (b) Satyrum graphicè depingit, & ad mores traducit eloquens scriptor in hunc modum. Prometheus cum ignem cœlesti è regione primò detulisset, obvium habuit è lustris prodeuntem Satyriscum (hoc est, parvum Satyrum) hirsutum illum, capripedem, & loco circinorum, cornua de fronte retorquentem, ut summa pariter & ima parte caper esset, aut hircus. Hanc tam elegantem faciem, in modum silvæ barba hispida, incompta, quaquà rigida, & longissimè excurrrens cingebat.

(a) Juvenulus lascivi Satyri comparatur. (b) Petulcius Satyrorum calor.

gebat. Caput ipsum & tota cervix jubatissimis cincinnis inundabatur. Istud ergo barbarum & barbatum monstrum, aspecto igne inassueto, ex Prometheo, quid esset interrogavit. Ille, ut disertus erat, vim, usum, & utilitatem ignis cœpit ad longum percensere. Qua oratione ita Satyrum incendit, ut velut ipso igne, in ignem arderet, alioqui sua luce, ac proprio splendore allicientem. Ergo ambabus manibus ignem amplectitur, & avidissimis labris flammam exosculatur. Sed illicò vim ignis sensit, mentum occupantis. Námque *olli ingens barba reluxit, Nidorumque ambusta dedit*, indéque argumentum incendii pustulas undique, circa fœdum os, & barbæ stolones reliquit, ut è vestigiis dementia amantis agnosceretur. Igni similes sunt omnes res creatæ, benè utentibus sanè utiles, & ita claræ, ut in eis divina potentia manifestè resplendeat. Sed imprudentes & intemperantes nonnulli cùm in eas incidunt, stolidè nimis involant, amplectuntur, osculantur. Ergo subinde tam deformes recedunt, ut Satyri instar, non solùm circa os amatoriiis floribus, pustulisque tumeant, sed etiam toto corpore sint scabiosi, & contagiosi. Georg. Stengel. P. 1. Labyr. c. 10.

Equidem amorem impurum Salomon ipse comparat igni, dum 6. Prov. ait: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Ignis in sinu, est cogitatio ardentis libidinis in mente; ambulatio super ignitos carbones est consensus in peccatum. Utraque flamma rapitur à lascivo comptæ mulieris aspectu. Hinc idem Sapiens ibid. *Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Formosa species urit & accendit. Huc facit emblema Amoris, quò pingitur ipse, cum tæda cerea, quæ admotò igne torretur, remoto liquatur, subjecto hoc lemmate:

Proxima fax igni flagrat, atque remota liquefcit:

Me procul ipse liquat, me propè torret amor.

S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. c. 13. & 14. Gravis, inquit, ignis est, fœda concupiscentia, & ideò non demus alimenta luxuriæ. Palscitur libido conviviis, nutritur delitiis, vino accenditur, ebrietate flammatur. Verba petulantis mulieris cupiditatum sunt retia; manus ejus, amoris nodus est. Ne capiaris, solve nodum: ne cremeris, excute scintillam. Hoc si audirent multi procaces adolescentes, non tam petulantes prurirent in flammam cum Satyris, nec stolidè amplexarentur cum illis ignem, sinúque foverent, aut super eum ambularent. Non incongruè

gruè huc servit, quod narratur de tribus juvenibus, genere illustribus, qui ludos in Bacchanalibus daturi, sese in horridos Faunos efferarunt. Vestis erat linea, villis undique fetisque hirsuta, arente stupa ac pice illita. In illam fortè scintilla è facula daduchi pueri inciderat, & omnes tres, flammam restinguere frustra conantes, ferali incendio involvit, lentoque igne miserabiliter torruit & assavit. Jacobus Bidermannus lib. 3. Acroam. c. 7. Hoc est agere Satyros, & suum pariter ignem & exitium in sinu, in vestibus, in gestibus, in verbis, in ludis & jocos circumferre.

III. (c) Adagiographus, Chiliade. 3. centuria 3. ex Platonis convivio, de Silenis commemorat, quod eruditionis causâ juvat hîc apponere. Alcibiades apud Platonem, Socratis encomium dicturus, eum Silenis similem facit, quod is multò alius esset propiùs intuenti, quàm summo habitu, specieque videretur. Quem si de summa, quod dici, solet, cute quis æstimasset, non emisset asse. Facies erat rusticana, taurinus aspectus; nares simæ, mucòque plenæ: Sannionem quempiam, bardum ac stupidum dixisses. Cultus neglectus, sermo simplex ac plebejus, & humilis, ut qui semper aurigas, fullones, cerdones, & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè sumebat illas suas inductiones, quibus urgebat in disputando. Fortunæ tenuis uxor, qualem ne vilissimus quidem carbonarius ducere vellet. Videbatur ineptus ad omnia reipublicæ munia; adeò, ut quadam die nescio quid apud populum adorsus agere, cum risu sit explosus. Denique jocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis speciem. Cùm ea tempestate ad insaniam usque ferret inter stultos profrendi Sapienriam ambitio, neque unus esset Gorgias, qui se nihil nescire jactitaret, & ardelionibus huiusmodi nusquam non referta essent omnia, solus hic homo, *unum se scire*, dictitabat, *quod nihil sciret*. Atqui si Silenum hunc explicuisses, videlicet Numen invenisses potiùs. quàm hominem; animum ingentem, sublimem, ac verè Philosophicum omnium rerum, pro quibus cæteri mortales currunt, navigant, sudant, litigant, belligerantur, contemptorem; injuriis omnibus superiorem, & in quem nullum omnino jus haberet fortuna, & usque adeò nihil timentem, ut mortem quoque nulli non formidatam contempserit; in tantum, ut cicutam eodem biberit vultu, quo vinum solet; utque jam moriens etiam in Phædonem suum (scriptum à se dialogum) locaretur; & sapiens, oraculo, imò omnium mortalium sapientissimus pronuntiaretur. Hunc talem facie vilem, pectore incomparabilem Alcibiades cum Silenis ideo contulit, quia olim Sileni statuæ sectiles fuerunt, & ita concinnatæ, ut

M m m 3

didu-

(c) *In corpore deformi formosus animus.*

diduci & explicari possent. Clausa ridiculam ac monstrosam tibicinis speciem exhibebant; aperta, subito Numen ostendebant, ut artem sculptoris gratiorem jocosus faceret error. Ita nimirum multi hominum habitu, vultuque longè minus præ se ferunt, quàm in animo clausum gestent. Quidquid in omni genere rerum præclarior est, id minùs in conspicuo est, ait Seneca. Hoc inter alios in Æsopo, sapientissimo illo fabulatore, natura ostendit; in quo sub deformi vultu pulcherrimus latebat animus, sicut lucidissimus unio sub aspera clausus concha. Præstantissimo ingenio non rarò pro domicilio corpus obtingit dissimillimum; & vicissim, formosi corporis sæpe hospes est stupidissimum ingenium.

IV. (d) Inter adagia circumfertur: *Panicus casus, Panicus metus*, nempe subitus animorum tumultus ac metus. Veteres enim existimabant, *Panem* deum, repentinos terrores & animi consternationes immittere, lymphaticis simillimas, usque adedò impotentes, ut non ratione modò, verùm & mente careant. De Panico hoc timore loquitur Salomon Prov. 28, *Fugit impius nemine persequente: justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* Est enim animosa innocentia; & pavet omnis animus malè sibi conscius. Sapient. 17. *Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim presumit seiva, perturbata conscientia.* Improbitas ipsa sibi supplicium struit; estque sceleris in scelere supplicium. Vir sapiens & probus ad nullius pavet occursum, instar leonis. Quòd si venantium multitudini cedere cogitur, sensim, pedetentimque discedit, crebrò subsistens atque respectans. Pana formidabilem fecit miniatu vultus, & cornua in capite surgentia. Has sibi larvas fingunt timidi, malèque conscii; ad quavis pallent fulgura. Verè Poëta: *Degeneres animos timor arguit.* Virtutem fugiunt ipsam tanquam spectrum, quibus præter nomen, nihil est de ea cognitum.

V. (e) Ad genus silvestrium deorum pertinent etiam *Centauri*, Ixionis è nube filii, quam pro Junone amplexabatur, unde *nubigenæ* dicti sunt. Thessaliæ populi fuisse feruntur: qui quoniam equos domare, & ex iis pugnare primi cœperunt, factum est, ut à vicinis populis, membra partim humana, partim equina habuisse crederentur. Et quia equestres eorum turmæ procul aspicientibus, inferiùs formam equorum, superiùs manus, vultusque hominum exhibebant, duabus ex naturis confecti videbantur. Quorum semideorum & semiferorum aliquis (*Pelethronium* vocant) frenum reperit & calcaria, quibus tardiores aut celeriores equi vel retinerentur, vel impellerentur. Vide de his Symbol. 40. 75. 82.

Nomen

(d) *Panicus terror non cadit in virum sapientem.* (e) *Centaury unde?*

Nomen Centauris est à κεντήω vel κεντάω, *stimulo, pungo*. In cursum scilicet calcaribus stimulabant equos; in hostem pugnabant sagittis, in amicum poculis. *Hippocentauri* sunt appellati, quippe ex equo & homine conflati. *Onocentauri* sunt dicti, ex asinina scilicet & humana forma coaliti. Isaia c. 34. De his monstris Virgilius 6. *Æneid.* in descriptione Tartari.

----- Centauri in foribus stabulant.

(f) Bene *stabulant*: non enim semibestiis aliud diverforium convenit, quam stabulum; intellige homines, qui belluino more, vivunt secundum partem inferiorem, & sua aliquando receptacula apud inferos cum Centauris habebunt. Neque mirum est, cacodæmones monstrosi huiusmodi formis illudere hominibus: cuius rei exemplum luculentum in Anachoreta Antonio habemus, quem variis spectrorum imaginibus incessiverunt, ut terrore foris objecto, intus percellerent animum, quem exteriori assultu vincere non potuere. Est enim hoc impurissimorum spirituum strategema, ut quem illecebris pervertere desperant, terroribus sternere nitantur. Hinc pleraque idola sunt ad metum incutiendum facta, & atra instar athiopum, capite bovino, hircino, canino, vultu sævo & minaci, oculis ingentibus & scintillantibus, fronte taurina, & subinde cornuta, naso thraconico, labris crassis & porcinis: oris deducto rictu, veluti canis ringentis, ore patulo & hiante instar lupi, ingenti, & in modum furni concavo, ut scilicet in eo facilius dæmon voces articulatas formaret, responsa & oracula redderet. Qualia Romæ, præsertim in Vaticano, permulta conspiciuntur. Cornelius à Lapide in c. 13. Sapientiæ. Ex quibus dignoscas, quali serviant domino, qui, veluti Centauri, semihomines sunt, & semibestiæ.

(g) Qui subtiliùs de insidiis diaboli differunt, eum Centauro comparant, prima fronte, & superiore corporis parte hominem præferenti: facit id cacodæmon; primò aggressu speciem lætam, etiam sub figura angeli, objicit animo; deinde magis ac magis inserpens, ubi blandiore forma mentem cœpit, repenti in belluam (putà calcitrantem, & ferocientem equum, ut in Centauris videtur) se verrit, miserique hominis pectus velut elisis unguis impetit & infestat, ut, quod primò blanditiis emollivit & decepit; ad extremum, tanquam de salute jam actum esset, trepidatione compleat, in perplexitatem conjiciat, & in ultimam desperationem adigat. Præterea per *nubigenas* Centauros, intentis arcubus armatos, licet intelligere vitiosas mentium humanarum impressiones, nescio

quam

(f) Cur diaboli monstrosi? (g) Diabolus in tentando homine centaurum agit.

quæ tela jam iræ, jam amoris vibrantes; quæ tamen, si *Rationis* lumen accedat, è nubibus & vanis imaginationibus ortum habuisse deprehendentur, repentéque nubium instar evanescent. Quòd si imbecillior sit animus, & originem jaculorum non pervideat, sternetur à sagittariis illis, hoc est, semiferis *concupiscentis irascentisque* appetitus concitationibus subjicietur, & proteretur, quasi equinis Centaurorum calcibus.

SYMBOLUM CIII.

Castor & Pollux, Amicitiae idea.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Castor & Pollux cur in cælo? 2. Vera amicitia. 3. Helena pestilens fidus. 4. Lubrica amicitia. 5. Concordiæ bonum.

FRatres erant hi, Jovis ex Leda, *Tyndari* regis *Oebaliæ* filia, quam Imperator ille cælicolùm sub cygni forma vitiavit. Exin ipsa peperit ova gemina, è quorum altero *Pollux* & *Helena*: ex altero *Castor* & *Clytemnestra* exclusi fuere. Sororum utraque, scilicet *Helena* & *Clytemnestra* turpissimis sese voluptatibus implicuit; ut appareret, qualem matrem habuissent: & quis partus sequeretur ex concubitu cygneas inter plumas commisso. Fratres à matre dicti sunt *Tyndarida*; qui postquam adoleverunt virtutem suam inter undas probavere, mare piratis liberarunt: meritique sunt, ut ob id inter deos pelagi adscripti, & *Apo-tropais*, hoc est, malorum *Depulsoribus* Divis sint annumerati; Græci eos *Διοσκύροις*, id est, *Jovis filios* appellant. Subinde in Colchos cum *Argonautis* navigarunt: qua in expeditione *Pollux Amycum*, *Bebryciorum* regem, omnes peregrinos secum decertare cogentem, interfecit. Dum reverfi, *Helenam* sororem etiamnum puellam à *Theseo* raptam, recuperarunt, *Aphidnâ* urbe, *Theseo* absente, expugnatâ; neminique vilata, præter *Æthram* *Thesei* matrem, quam captivam abduxerunt. Inde effectum est, ut reges & principes aliorum *Servatores*, ob eximiam clementiam *Dioscuri*, ab *Athenis* vocarentur. Horum alter fratrum, nempe *Castor*, equitandi peritissimus, arcum invenit & canes venaticos; *Pollux* pugil præstantissimus, auctor fuit artis certandi castu. De quibus *Horatius* lib. 2. serm.

Castor